

Q. D. B. V. 38.  
DISPUTATIO INAUGURALIS JURIDICA  
*de*  
**PURGATIO.**  
**NE MORÆ,**  
*Quam*  
**ADJUVANTE DEO**  
**CONSENSU ET AUTORITATE**  
*Magnifici J<sup>c</sup>torum Ordinis,*  
*in*  
**CELEBERRIMA ACADEMIA JENENSI,**  
**P R Ä S I D E**  
*Viro Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo atq<sup>e</sup> Excellentissimo,*  
**DN. JOH. CHRISTOPHORO**  
**Falkner/ J. U. D. & Prof. Publ. celebratissi-**  
**mo, Consiliario Saxonico, Curiæ Provincialis,**  
**Facultatis Juridicæ ac Scabinatus Asses-**  
**sore gravissimo, &c.**  
*Dn. PATRONO eternū colendo,*  
**PRO LICENTIA,**  
**SUMMOS IN UTROQUE JURE HONORES ET PRIVILEGIA**  
**RITE AC SOLENNITER OBTINENDI,**  
*Publico Eruditorum Examini submittit,*  
**BENJAMIN Sreyßchärf/**  
**Greussensis Thuring.**  
**Ad DIEM XXIX. Novembr. clo loc LXXV.**  
*Horis ante- & pomeridianis*  

---

**JENÆ Excusa, apud JOHANNEM NISIUM.**



autem, benigne Lector, cā, quā par est, submissione rogo, ne, si in diffīcili atque intricata, & à paucis hactenus explicata hac de PURGATIONE MORÆ materia aliquam minus rite dicendo, recteque statuendo commiserim moram, eandem purgare, ne dēdigneris.

## CAPUT I. DE MORA INGENERE.

### §. I.

*Mora diversa significatio.* **O** Missa vulgari moræ significatione, quæ temporis dilationem, cunctationem, expectationem denotat, in jure nostro, præprimis in Tit. ff. d. usurris & fructibus, & causis, & omnibus accessionibus, & MORA; sumitur ea pro solutionis expediendæ frumentis destratoria dilatione, ex parte Creditoris in non recipi scriptio. endo, & debitoris, in non offerendo debito, consistente, l. 3. in fin. l. 17. §. 3. l. 21. l. 32 pr. ff. d. usur. l. 37 ff. mandat. Cum qua descriptione concordat illa Hahn. in notis ad Wesenb. tit. ff. d. usur. n. 3. & Excell. D. Henrici Bornii in Collegio Wesenb. ad tit. eund. Ubi moram sic delineat; quod sit frustatoria dilatio, debitum non solventis, vel recipientis, sine legitima causa, & gravi impedimento facta. Hinc manifestò patet, quod MORA committatur vel culpa DEBITORIS, prætermittentis solvere, quod solvere & debuit, & potuit, cum aliquo Creditoris incommodo conjuncta; vel CRE-

*Descriptio Explanatio.*

CREDITORIS, non recipientis solutionem, à debito  
tore idoneè oblatam, unde aliquid incommodi ad de-  
bitorem pervenit. Notanter dixi in priori casu, quod  
solvere & DEBUIT & POTUIT; ubi itaque nulla est  
petitio, ibi mora committi non intelligitur. l. 88. ff. d.  
R. J. quod ita accipendum est, ut debitor, exceptione  
aliquà munitus, moram facere non videatur, l. 40. ff. d.  
R. C. c. 60. d. R. J. in 6tò. Sicuti nec is, qui justam ad  
judicium provocandi causam habet, veluti si debitum  
non sit liquidum, moram committat; à quo tamen plu-  
rimum differt improbus ille litigator, qui litigare ma-  
luit, quam restituere, qui non solum moram facit, l. 82.  
§ 1. ff. d. V. O. sed & insuper damnum & expensas litis  
inserre adversario suo cogitur, §. 1. inf. J. d. pæn. tem. li-  
tig. Quò pertinet etiam is, qui temerè contra latam  
sententiam condemnatoriam appellationem interpo-  
suit, ubi, si tempore latæ prioris sententiæ, non nisi pau-  
corum dierum mora intercessisset, ut nihil tūm actoris  
interesse videretur; postea verò ob protractam senten-  
tiæ executionem, ex culpa appellantis cœperit interesse;  
ab hujus restitutione appellantem liberari, iniquissimum  
certè esset. Carpzov. Jprud. Forens. p. 1. c. 20. d. 21. n. 4.

§. 2. Quemadmodum juxta tradita in mora non  
est, qui solvere non DEBUIT, ita ab ea liberatur, qui  
non POTUIT: quid enim, ait JCtus in l. 17. §. 3. ff. d.  
usuris, potest imputari ei, qui solvere, etiamsi vellet,  
NON POTUIT? Fortassis quod ignoret, quantum, aut  
cui solvere debeat, qui non potest improbus videri, juxta  
l. 99. ff. d. R. J. Eodem modo heres, cui non fit fides  
de debito, vel debitor, cui non constat, an interpellans

**Si** heres Creditoris, à mora liber est, propter justam ignorantiam, Menoch. d. A. J. Q. cas. 220. n. 54. cum seq.

**Mora Di-** §. 3. Mora autem in genere est duplex, vel I. quæ  
**viso.** immediatè ex juris dispositione descendit, & dicitur

**Mora ex Re** qualis. ipso jure, absque ulla hominis interpellatione contra-

**(a) Fit fa-** hitur. Fitque (a) Libertatis favore, & fidei commis-  
**vore Li-** sariis Libertatibus, ut ingenui exinde nascantur, ex quod  
**bertatis.** Mora libertati facta est; manumitti autem partum dici

debeat, ex quo peti Libertas potuit, quamvis non sit pe-  
titia. L. 26. §. 1. ff. d. Fidecomm. Libert. Rationem hujus fa-  
voris elegantem addit L. 53. ff. d. t. quia scilicet Libertas  
non privata, sed publica res est, ut ultrò is, qui eam de-  
bet, offerre debeat.

**(b) Favo-** §. 4. (b) Committitur Mora ex Re favore Mino-  
**re minoris** ris ætatis; in Minorum enim causis Legibus cautum est,  
**ætatis.** ut debitor sine alia interpellatione in Mora constitu-  
atur, L. 26. §. 1. in fin. ff. d. fideicommiss. Libert. L. si quid  
3. §. 2. ff. d. adimend. legat. L. in Minorum. 3. C. in quib.  
caus. in integr. restit. nec. non est. Strauch. Dissert. 18.

apbor. 24. Capzov. p. 2. c. 30. d. 23. Nam quod Majo-  
res prudentiâ suâ sibi constiuerere possunt, in eo sub veni-  
re voluerunt leges Minori, utpote multis aliâs captioni-  
bus supposito, L. 1. pr. ff. d. Minor. Quod tamen privi-  
legium notanter cessat, quando debitor Minoris non  
habet personâ legitimam, cui solvatur. L. 17. §. 3. ff. de usu-  
ris. Quomodo autem debitor pupillo soluturus sibi benè  
prospicere possit, docet Capzov. p. 2. c. d. XI. 45. ut scilicet  
præter autoritatem tutoris decretum judicis de solven-  
do adhibeat, quô interveniente debitor plenissimè libe-  
ratur. Præterea cessat hoc beneficium, quando Minor  
succe-



succedit creditori Majori, vel quando debitor à què Mi-  
nor est; quia privilegiatus adversus privilegiatum, suo  
non utitur privilegio, arg. L. 11. §. pen. ff. d. Minor. Brun-  
neman. ad L. 3. C. in quib. caus. restitut. in integr. necess. non  
est. Hoc privilegium Minoribus concessum malè qui-  
dam & sine ratione extendunt ad Majores, allegantes L.  
§. C. d. actionib. Emti, l. 13. §. 20. ff. eod. Confundunt e-  
nim usurarum in compensatione fructuum obligatio-  
nem, cum Moræ commissione.

§. 5. Inter Minores refertur, eorumque privilegiis Inter mi-  
gaudet Ecclesia, quoniam hæc jure Minoris semper & u-  
nores re-  
bique illæsa servari debet. c. i. extr. d. in integr. restit. Me-  
fertur Ec-  
noch. L. 2. A. J. Q. cas. 220. per tot. Meier in Colleg. Argent.  
d. Usur. th. 50. n. 2. Idem juris obtinet in Republica, Respubli-  
propter expressam cum Minoribus in L. 4. C. quib. ex ca-  
caus. major. in integr. restituam. comparationem. Item,  
si quid Fisco debeatur, L. 17. §. 5. L. 43. ff. d. usur. Etiam  
ratione delicti, L. 8. §. 1. ff. d. condic. furtiv. L. fin. C. d.  
condic. ob turp. caus. Christoph. von Hagen in Tractat. d.  
usur. usur. & ann. redit. c. 9. n. 61. & seqq.

§. 6. (c) Mora ex Re committitur odio debitoris, (c.) Odio  
in obligationibus ex delictis descendantibus, prout de Debitoris.  
furibus eleganter dicit L. 8. §. 1. d. condic. furtiv. Quod  
semper Moram fur facere videatur; Nam qui primò in-  
vitò Dominò rem correctavit, semper in restituendâ  
eâ, quam nec debuit auferre, moram committit, sunt  
verba JCti in L. 20. ff. d. condic. furtiv. vid. Magnif. Dn.  
Struvium S. J. C. Exerc. 27. th. 28. Et Christoh von Ha-  
gen in tract. d. usur. usur. & c. c. 9. n. 61. seqq. Ubi deceim  
casus recenset, in quibus moræ prædictæ locus, inter  
quosest, quando quis pecuniam, quam alieno admini-  
stravit



stravit nomine, in usus proprios convertit, L. 7. §. 12. L. 42.  
§. 1. ff. d. administ. tutor. L. 10. §. 3. ff. mandat. L. 3. §. 3. id.  
contrar. tutel. & utili act. L. 3. C. arbitr. tutel. Huc quoque  
pertinet Creditor, qui pignora sibi obligata pluris  
vendidit, & residuum pretii penes se retinuit, L. 40. ff. d.  
usur. l. 7. ff. d. pign. action.

Mora ex  
persona  
qua?

§. 7. Et tantum de Mora ex Re, ejusque expli-  
catione. Jam II. ad MORAM EX PERSONA, quæ ex  
Facto. h. e. Interpellatione hominis oportuno loco &  
tempore facta oritur. Inter quam, & moram ex Re  
hoc maximè interest, quod cùm in re solum Mora est, fi-  
nita causa, propter quam Mora recipitur, desinat Mora  
fieri: ut si Minor decesserit, si 25. annum excederit; quia  
revera Mora non fuit, sed beneficium tantum personæ.  
Mora autem ex persona interveniente semel cœ-  
pta, deinceps in Re perseverat, etiam in heredes transit,  
nec tempore aut personis postea mutatur, nisi se pur-  
gent. L. Titia Sejo, 87. §. 1. ff. de Legat. 2.

Interpel-  
latio  
quid?

§. 8. Mora ex Personâ fit INTERPELLATIONE,  
quæ describitur, quod sit admonitio facta testatò & claris  
verbis, voluntatem Creditoris continentibus, solvendi  
ejus, quod debetur. Hæc Interpellatio est tum T A-  
CITA, quando scilicet in obligationibus in diem contra-  
ctis, dies interpellat pro homine, l. 12. C. de Contrab. stip.  
Et debitorem ipso jure in Mora constituit, l. 9. §. usur. 1.  
ff. de usur. L. si fundum 114. ff. de V. O. nec ullâ aliâ opus  
est interpellatione: partim quod per diei existentiam  
debitor satis sit certioratus, adeoque non amplius ad-  
monendus, c. 31. de R. J. in 6to. partim quod debitor ad  
præstandam poenam possit conveniri, si ad diem non  
pular.

Interpel-  
latio tac-  
ta qua?



folvat, l. 23. ff. de O. & A.L. 12. c. de contrab. & commit. stipulat. Secus est in conditionalibus obligationibus, in quibus non conditionis existentia, sed interpellatio subsecuta Moram inducit. Arum. de Mora c. 17. Differentia ratio haec esse videtur, quod conditio non, uti dies, solutioni, sed obligationi adjiciatur ; præterea que conditio posita sit in eventu, adeoque debitor se ad solvendum præparare nequeat : Nec enim conditio existens poterit simul hoc operari, ut debitor eodem temporis puncto & obligetur, & in mora constituatur, præsertim cum conditio ut plurimum debitore ignorantem impleatur, Bachov. ad Treutl. v. 2. D. 3. th. 7. lit. D. Non obstante l. 59. ff. de V. O. Distinguo enim inter comparationem diei & conditionis quoad æstimationem, & inter comparationem quoad Moræ commissionem. Quorū desuper referunt emtorem, non solventem, pretium pro re vendita tradita, cuius fructus percipit, l. 5. C. de action. Emti. ibique Brunnem. l. 13. §. 20. ff. eod. l. 18. pr. & §. 1. ff. de usur. l. 2. C. eod. l. ult. ff. de peric. & commod. rei vend. Item Emphyteutam non solventem canonem, qui citra interpellationem expressam in Mora constituitur, quia, ut dicit Pontifex in c. ult. X. de locat. & conduct. in hoc casu dies statuta pro Domino interpellat. Quæstio hic oritur practicabilis, an debitor, qui in suâ obligatione Creditum quamprimum reddere promisit, Er. wolle seine Schuld fôrderlichst hinwiederum richtig bezahlen / eô non factô, creditori absque præcedente interpellatione ad interesse sit obstrictus ? resp. non nisi à tempore interpellationis interesse currere incipit. Carpz. l. 4. Resp. 56.

Interpel-  
latio ex-  
pressa est  
vel judi-  
cialis.

§. 9. Dux de interpellatione tacita, cui opponitur  
tur EXPRESSA, quæ vel est JUDICIALIS, quæ fit per li-  
tis contestationem, l. 1. & 2. C. de usur. & fructib. legat.  
& contumaciam, quæ pro litis contestatione habetur.

Carpz. p. 2. c. 30, d. 17. n. 7. Adeoque & interesse, cuius  
loco si creditor contentus sit usuris quincuncibus, & tum  
usuras in stricti juris contractibus, à tempore litis con-  
testatae deberi, non absurdè dixeris. Carpz. d. l. num. 5.  
vel extra-  
judicialis. vel EXTRA JUDICIALIS, quando debitor interpellata  
tus idoneò loco & tempore, debitum vel tempore, de-  
bitum, vel planè non, vel non idoneè, utpote aliud pro-  
alio, l. 2. §. 1. ff. de R. c. vel non justo tempore offert. l. 41.  
l. 122. ff. de V. O. l. 12. §. 1. ff. de V. S. ibique Gœdd. Qui  
omnino moram facere videtur; Quod etiam in particu-  
lari solutione receptum est, ut illa propter multa, quæ  
secum trahit, incommoda, l. 3. ff. famil. hercisc. invito  
creditori obtrudi non debeat, prout Scabini Lips. in cau-  
sa Hansen Köhlers / & Osvaldi Vogels / ad re-  
quilibrium Prætoris & Scabinorum Annæbergensium,  
M. Jun. anno 1633. respond. Verba sententia sunt: So  
ist ihm auch zu des Schuldners übrigen Ver/  
mögen und Gütern die Hülfe zu suchen unbe/  
nommen/ und es mag der Creditor sich auf die  
Tagezeiten weisen zu lassen / und PARTICULAR-  
REM SOLUTIONEM anzunehmen wieder seinen  
Willen nicht getrungen werden. V. R. W.

§. 10. Hoc loco famosa inter Doctores oritur quæstio,  
an unica extrajudicialis interpellatio debitorem in Mo-  
ra constitutus quod affirmandū, l. 23. l. 82. §. 1. ff. de V. O. l. 32.  
prff. d. usu. l. 87. §. 1. ff. 1. d. Legat. 2. & arg. l. 3. §. 1. ff. quod vi aut  
clara



clam. Modicum tamen spatum, quod commode solvi possit, est concedendum: nec enim cum sacco statim debitorem adire debet, ait Paulus in L. 105. ff. de solut. Neminem turbent, quae contra hanc sententiam verissimam, & in praxi quoque receptam adducunt aliqui Dd., qui ducti, vel potius seducti ratione eorum, quae habentur in l. 32. §. 1. ff. b. t. l. 122. §. 5. ff. de V.O. l. 4. ff. l. d. pign. act. l. 38. pr. ff. d. Minor. contrarium asseruere: Cum enim textus priores simpliciter de interpellatione loquuntur, ob id etiam meritò de unico saltim actu intelligendi erunt, prout jura volunt, l. boves. 89. §. 1. ibique Tiraquell. ff. de V. S. maximè si ea consideraverimus, quae tradita inveniuntur in l. 72. pr. ff. de solut. l. 17. de peric. & commod. rei vend. l. 16. ff. ad l. Julian d. adult. In quibus cum emphasi dicitur, quod interpellationem SEMEL intervenisse sufficiat; debitor enim semel certior factus, amplius non est carnificandus. arg. l. 1. §. 1. in fin. ff. de action. Emti. Arumæus in suis Exerc. ad. ff. D. 14. ad l. 32. ff. de usur.

## CAPUT II. DE EFFECTU MORÆ IN GENERE.

### §. I.

Effectus Moræ à debitore commissæ est I. Translatio *Effectus*  
*Moræ I.*  
Edamni & periculi ab illo tempore, quod Mora admis-

transla- se est, in Moratorem, l. 23. & 24. ff. d. V.O. Et hoc ipsum  
tio danni est, quod in l. 91. §. 3. ff. d. V.O. dicitur, MORA DEBI-  
TORS OBLIGATIONEM PERPETUARI. jung.  
se pericu- l. 59. §. 5. ff. Mandat. ibique Gothofr. in not. L. y. ubi dicit,  
li in Mo- Mora Rei Mandatum tempore finitum post Moram fit PERPE-  
ratorem. nocet fide. T U U M. Quæ Mora Rei Fidejussori quoque nocet,  
Mora jussori. juxta l. 88. ff. d. V.O. l. 24. §. 1. ff. de Usur. Quod tamen  
quoad perpetuandam, non quoad augendam obligatio-  
nem intelligendum est, l. 91. §. 4. ff. d. V.O. Etsi enim  
Mora debitoris, factaq; solutionis prorogatio noceat fi-  
dejussori ad continuandā & perpetuandā obligationē;  
attamē ad interesse & usuras ulteriores inde nō obliga-  
tur, nec nocet fidejussori prorogatio se insciō debitori à  
creditore facta ad augendam ejus obligationem, Carpz.  
p. 2. c. 19. d. 2. n. 3. Sed hoc cum distinctione est accipien-  
dum: interest enim, an intercesserit fidejussor in con-  
ventione bonæ fidei, aut arbitrariæ, vel stricti juris; Hoc  
casu aut intercessit simpliciter, aut in omnem causam:  
**SI SIMPLICITER** citra mentionem certæ quan-  
titatis, Moram necente debitore, fidejussor inde non  
obligatur, l. 8. ff. d. eo qu. certa loco. Quia in his judi-  
ciis nihil venit, nisi quod expressè conventum, l. 99. ff. d.  
V.O. Si in omnem causam accessit, omnino obligatur,  
quia initio in id consensisse, nihilque exclusisse intelli-  
gitur. l. 54. ff. locat. l. 8. C. d. pact. inter emt. & vend. Illo  
casu aut intercessit Fidejussor nullâ expressâ certâ quan-  
titate simpliciter, & tenetur ex Mora principalis, quia  
b. f. judicia augmentum usurarum admittunt, & acces-  
soria amplectuntur, l. 32. §. 2. ff. d. Usur. l. 13. C. eod. l. 25. §. 1.  
ff. depos. vid. Carpzov. p. 2. c. 19. d. 8. Vel in certam & li-  
mitatam



mitatam summam, atque nihil amplius debetur, quam  
id, quod de ab initio convenit. l. 68. §. 1. ff. de fidejuss. l. 89.  
ff. d. V.O. Quia initium contractus hic maximè spe-  
ctandum. l. 1. §. 30. ff. deposit.

§. 2. Effectus II. Moræ commissæ est USURA- Effectus  
RUM in bonæ fidei judiciis præstatio: in contractibus II. Usura-  
enim b. f. ob solam Moram commissam à tempore mo- rum præ-  
ræ usuræ debentur, l. 32. §. 2. ff. d. usur. l. 17. §. 4. eod. l. 2. C. statio.  
deposit. Idem etiam obtinet in Legatis ac fideicommissis, quæ quoad hoc negotiis b. f. comparantur, l. 3. ff. d.  
usur. l. 34. eod. Aliter se res habet in stricti juris judi-  
ciis, in quibus nec ex Mora, nec ex tempore Litis Con-  
testationis incipiunt currere, l. 1. C. d. condic. indeb. l. 24.  
ff. d. P. V. l. 3. C. d. usur. Sed ex stipulatu demum de-  
bentur. Eckolt Comment. ff. tit. d. usur. §. 6. Hodie  
verò ex Mora deberi usuras in Mutuo, atque sic quoque  
in negotio stricti juris, patet ex Recessu Deputat. Spi-  
rensi de anno 1600. §. So viel nun/ verbis: So ordnen  
und wollen wir / daß solch interesse ( scilicet in Contra-  
ctibus Mutui ) à tempore Moræ erstattet / und derent-  
wegen den Creditoren §. fl. von 100. bezahlet werden.  
Unde sequitur, Moram contractam in d. Recess. intel-  
ligi, non solum ubi usuris initio in stipulationem de-  
ductis Mora sit à debitore in solvend. verùm etiam ubi  
ne quidem promissæ fuerunt in initio usuræ, sed ad cer-  
tum tempus contracto mutuo, Mora in reddendo com-  
mittitur, vid. Hahn. ad Wesenb. tit. ff. d. usur. n. 2. Ita  
in Collegio Juridico Jenensi M. Novembr. 1637 ad Con-  
sultationem Dnn. Consiliariorum zu Ohrdruff fuit pro-  
nunciatum: Usim fall die Herren Grafen von Hohen-

Zohe in Mora gewesen / werden solcher Summ sogen  
die gewöhnliche und landübliche pensiones , ob sich  
gleich die Herren Grafen nicht ausdrücklich  
darzu verschrieben / bey ihnen von den Creditoren  
nicht unbillig gesucht. Junge hic Brunnem. ad l. 3. C. d.  
usur. Ubi dicit, quod quæ olim usuræ in contractibus  
stricti juris per stipulationem poterant validè promitti,  
illæ hodiè nudo pacto , deliberato tamen promitti pos-  
sint ex æquitate juris Canonici ; quicquid in contrari-  
um alii disputatione ; quæ sententia notorio usu recepta  
Et sic hodie Usuræ ex Mutuo debentur , licet pacto sal-  
tem sive incontinenti adjecto , sive ex post facto inter-  
posito promissæ, adeò ut non tantum solutæ repeti non  
possint, sed ut etiam non solutæ possint condici & peti,  
ut experientia quotidiana docet. Frustra ergo de vi  
pactorum in continenti adjectorum , vel secutorum  
disputatur , si juris tradita ex usu & ex naturâ scientiæ  
practicæ æstimamus.

*Effectus*  
*III. est*  
*fructuum*  
*perceptione*, qui fructus, secundum Varro-  
nem à ferendo dicti, strictè significant ea , quæ ex ipsâ  
*perceptio*. vel in re naturaliter nascuntur. l. 28. l. 45. ff. d. usur. Si  
itaque prædia aut animalia danda, aut aliæ res , quæ lo-  
cari possunt, tunc in Fructuum restitutione Moræ effe-  
ctus se exerit. De quibus notandum, quod fructus seu  
accessiones civiles & naturales in b. f. post moram , in-  
stricti verò juris judiciis post litis demum contestatio-  
nem veniant, l. videamus, 38. §. 7. ff. d. usur. Carpzov.  
p. 2. c. 30. d. 17. n. 4. Et licet alias circa fructuum resti-  
tutionem distingvatur inter bonæ & malæ fidei posses-  
sorem;



forem; quia tamen omnis bona fidei color cessat, postquam Mora est commissa; ideoque ejusmodi malae fidei possessor fructus omnes non solum perceptos, (sive adhuc extent, sive consumti fuerint,) sed etiam percipiendos, h.e. qui à petitore, si ipse rem habuisset, percipi honestè potuissent, restituere debet. l.62. §.1. l.33. ff. d.  
R. V. vide latius Magnif. Dn. Struv. S. J.C.Exerc. XI. thes.  
18. seqq.

## CAPUT III. DE PURGATIONE MORÆ,

### §. I.

Cum diversimodis significationibus vox PURGA-  
CRE in jure nostro obnoxia reperiatur, ideoque an-  
te omnia ejus homonymia est tradenda atque explican-  
da. Significat autem (1) purgare in Edicto Prætoris de  
via publica, ad libramentum proprium redigere sublato  
eo, quod super eam esset, l.1. §.1. ff. d. via publ. & itin. publ.  
refic. Alias immundū tollere significat, l.1. ff. de Rīvis. Un-  
de dicitur in l.1. §.3. ff. de via publ. & si quid in ea factū. Con-  
struat vias publicas unusquisq; secundū propriam domū,  
& aquæductus PURGET. (2.) In judiciis purgare est se ex-  
cusare, & innocentiam suam ostendere, l.5. ff. de publ.  
judic. Sic purgare se solebant olim suspecti de crimi-  
ne aut duello, c. 2. X. de purgat. vulgar. aut aquâ frigidâ,  
vel fervente, in quam nudi mittebantur, c. ex tuarum 8.  
extr.

*extr. de purgatione Canonica. aut ferrō candente, ut vo-*  
*catur in c. fin. X. de purgat. vulg. vel ignite, in c. Mennam.*  
*2. q. 5. De his purgationibus, & quid de iis sentiendum,*  
*vid. Besold. in Thes. Pract. verb. Wasser // Urtheil.*  
*Speid. Notab. Jurid. Histor. Polit. tit. Glūend Eisen tra-*  
*gen. (3.) Purgare fructus, interpretatur Cujacius, pu-*  
*tare, sic in l. Liberto, 31. §. 3. ff. d. N. G. legimus, qui aliena*  
*negotia gerit, usuras præstare cogitur, ejus scilicet pecu-*  
*nix, quæ PURGATIS, (i. e. putatis Gothof. ibid. L. R.)*  
*necessariis sumtibus superest. Eodem sensu PURGA-*  
*TA ratiocinia, i. e. putata legimus in l. pen. in fin. C. de*  
*bonis proscript. Purgare sumitur pro eluere, emendare*  
*& delere, ut purgare Moram, est moram emendare, l. 91.*  
*§. 3. ff. de V. O. Atque hæc significatio hujus loci est*  
*Definitio propria, & describitur PURGATIO MORÆ, QUOD*  
*Purgatio- SIT EXTINCTIO FRUSTRATIONIS A MOROSO*  
*nis Mora. COMMISSÆ, LEGITIMIS MODIS FACTA, JURE*  
*PERMISSA, ITA UT PENITUS MORA QUIESCAT.*

§. 2. Dixi hactenus de Mora, ejusque effectu &  
descriptione in genere; jam de CAUSIS, in quibus mo-  
ræ purgationi locus sit, & MODIS Moram purgandi  
pauca, pro instituti ratione, addam: Et purgatur Mora  
vel debitoris facto, vel creditoris Voluntate.

I. Purga-  
tur Mora  
facto de-  
bitoris.  
I. Purgatur FACTO DEBITORIS, RE INTE-  
GRA, si effectus Moræ imperfectus est, & adhuc metui-  
rur, veluti periculum interitus rei, aut jus agendi, ad  
pœnam vel interesse, OBLATIONE DEBITI opportu-  
na. l. 122. ff. d. V. O. IN OBLIGATIONIBUS PURIS.  
Quam oblationem debiti si Creditor absque causa Le-  
gibus comprobata recusaverit, debtor salutari reme-  
dio



lio l. 9. C. d. solut. nimirum oblatione, consignatione,  
ac depositione debitæ pecuniæ optimè sibi suisque rebus  
consulere atque prospicere potest, observatis tamen so-  
lennitatibus certis, (1) ut oblatio sit Realis, verbalis enim *Requisita*  
non sufficit; (2.) Totalis, sors nempe cum usuris, l. 18. ff. *oblationis*  
*d. usur.* (3.) debitō tempore & loco facta, l. 122. ff. *d. V. O. pecuniae.*  
Si quidem inter contrahentes specialiter non conven-  
tum sit, in loco domicilii vel contractus, l. 19. §. 1. ff. *de ju-*  
*dic. jung.* l. 21. ff. *d. O. & A.* Sin verò certus locus sit ad-  
jectus, in eo loco oblatio facienda, l. pen. ff. *d. eo quod*  
*cert. loc.* (4.) ut debita & promissa pecunia in eadem  
bonitate intrinseca, quæ fuit tempore contractus initi,  
offeratur. Juxta Constit. Elect. Saxon. 28. p. 2. nisi fortè  
debitor in Morâ solvendi fuerit; (tunc enim damnuni  
**Creditori**, quod indè senserit, præstabit, l. 21. §. 3. ff. *d. a-*  
*ction. Emti.*) vel aliud inter contrahentes actum sit, arg.  
l. 23. ff. *d. R. J. Gail.* l. 2. obs. 73. Ludvvel. *Disp. XI. thes. 6.*  
*lit. c.* (5.) ut Creditor absque causa justa solutionem ac-  
cipere recuset; (6.) Ut tunc fiat judicialis depositio, ad  
quam iterum Quatuor sunt necessaria, (a) ut Creditor  
citetur ad depositionem faciendam, (b) ut numeretur  
pecunia, (c) illa numeratio fiat judicialiter, (d) ut pe-  
cunia in sacculum includatur, atque in judicio obsigne-  
tur. Carpzov. *Libr. 5. Resp. 99. n. 22. seqq.* adde *Respons. 100.*  
ubi plura de hac materia. Eckolt. *Comment. ff. tit. d. so-*  
*lut. §. 11.* Cujus oblationis effectus est, ut debitor se à  
cursu usurarum penitus purget, liberentur pignora, &  
fidejussores. Brunnem. *ad l. 9. C. d. solut.*

§. 3. Sed quid juris, si debitor Rescriptum Mora- *Quid ju-*  
torum, aut quinquennales Literas einen eisernen Brief/ *ris, si de-*  
*impe-* *bitor Re-*

scriptum  
Morato-  
rium im-  
petrave-  
rit?

impetraverit, an per eas' Moram durantibus induciis contractam solutione debiti purgare possit, ne ad præstandas Creditori usuras teneatur? Sereniss. Saxon. Elect. Moder. in sua Noviss. Decis. 30. respondet, quod medio tempore ad usuras nihilominus sit obstrictus, cum hac tamen declaratione, quod usuræ unâ cum sorte differantur; nisi debitor finitis induciis indictaque executione in continenti deducere ac probare valeat, se interea bonis suis uti frui non potuisse, quâ probatione à Mora ejusque poena purgatur. Idem ferè obtinet in Præcepto judiciali de non solvendo debito debitori dato, qui deponendo aut judicialiter sortem, aut in judicio oblatam & obsignatam iterum ad se recipiendo, usurarum evitat præstationem. Decis. Elect. Noviss. 27. ibique Dn. Philippi.

Effectus  
moræ pur  
gate in  
obligatio-  
nibus Dan  
di est Li-  
beratio à  
periculo  
rei.

Effectus in  
obligati-  
onibus fa-  
ciendi li-  
beratio  
ab inter-  
esse.

§. 4. Dixi in §. præcedent. i. de oblationis pecuniae debitæ juxta l. 9. C. d. solut. Effectu, qui purgatà Mora in OBLIGATIONIBUS Dandi generalitet in eo consistit, ut debitor se liberet à periculo rei postea contingentis, translato in Creditorem, debitum injustè recusantem, l. sed et si, 17. ff. d. constit. pec. arg. l. 122. ff. d. V. O. l. 9. ff. solut. matrim. l. 17. ff. d. peric. & commod. reivend. In OBLIGATIONIBUS verò FACIENDI, ut se liberet à necessitate præstandi ejus, quod intercit, usque ad litis contestationem; quia in his obligationibus effectus Moræ, ut post eam jus agendi ad interesse competit, imperfectus est, donec lis sit contestata; hinc Donell. ad l. 91. § 3. d. V. O. generaliter putat, ubiunque admittatur moræ purgatio, ibi admitti tantum usque ad litem contestatam, idque tam in faciendi, quam in dandi ob-

liga-



ligationibus. Ethoc obtinet, sive obligationes POENAM SUBJECTAM habeant sine die; nam & tunc mora purgatur usque ad litem contestatam, ut oblatione ejus, quod ex principali obligatione debetur, poena evitari possit, textus est elegans in l. 122. §. 2. ff. de V.O. & in l. 21. §. fin. ff. d. recept. arbit. junge l. 1. ff. d. penulegata. l. Celsus. 23. in fin. princ. ff. d. R. A. SIVE DIEM sine poena, l. 8. ff. si quis cautio. l. 84. ff. d. V.O. l. 135. §. 2. ff. eod. Treutl. V. 2. D. 3. tb. 9. lit. f. & g. Secus si DIEM ET POENAM, ubi mora purgari haudquaquam potest. l. 23. ff. d. O. & A. l. magnum. 12. C. d. contrah. stipul. d. L. Celsus, 23. ff. d. R. A. Quia quando dies & poena in obligatione est, purgatio moræ non admittitur, sed dies interpellat pro homine, cumque poenæ statutæ obnoxium facit, ut ab illa celeri satisfactione se liberare non valeat. Brunnem. ad l. 12. C. d. contrah. stip. Illud generatim addo, ab interesse, quod ante purgationem, contingit, non aliter purgando liberari debitorem, quam si offerat, antequam jus Actoris ex Mora deteriorum factum sit. Treutl. d. l. lit. b.

§. 5. Atque sic factō debitoris Moræ purgatio obtinet. II. VOLUNTATE CREDITORIS Purgatur Mora, ut antea commissa in futurum non noceat (1.) cùm sponte & nominatim eam remittendo pacificatur, ne ob moram teneatur. arg. l. sancimus. 26. vers. ditoris. sin autem, C. d. fidejuss. Ubi quoad periculum rei debitor plenē & de futuro liberatur. Sed usuras tamen & fructus non nisi futuros tollit hæc remissio, non præteritos, docente Strauch. Dissert. 18. aphor. 27. pag. m. 301. (2.) cum eandem rem à debitore vel alio novandi ani-

mo



mo stipulatur Creditor, modò purè id faciat, l. 8. pr. ff. d.  
Novat. l. 29. §. 1. ff. d. V. O. & quidem expressis verbis,  
quod prior obligatio, hypotheca, aut fidejussionis cau-  
tio tolli debeat, secund. Noviss. Elect. Saxon. Decis. 66.

§. 6. Sed quid, si conditionalis obligatio sit po-  
sterior, & res pendente conditione interierit, an mora  
antea commissa sit purgata, adeoque non amplius tene-  
atur promissor? Mora non erit purgata, sed omnino  
tenetur; quia si prior obligatio fuerit pura, & posterior  
conditionalis, novatio tum demumerit, si conditio ex-  
titerit; alioquin si defecerit, durat prior obligatio. l. 56.  
§. fin. ff. d. V. O. l. 23. ff. eod. l. 14. l. 31. ff. d. novat. Non  
obstante l. 72. §. 1. ff. d. solut. Respondeo enim, quod  
isto casu res debita præsens fuerit, & debitor ad solven-  
dum paratus, ut patet ex verbis ultimis illius §. 1. Credi-  
tor verò admisit aliam promissionem sub conditione;  
quia igitur obtulit, sive paratus fuit ad solvendum, peri-  
culum servi ad debitorem non amplius spectat. Excel-  
lent. Dn. Schwendendorffer/ in MS. ad Strauch. Colleg.  
*Dissert. 18. aphor. 27. in verbis; re absente. Et hæc  
pro ratione temporis atque instituti  
sufficiant.*

SOLI DEO OPTIMO LAUS,  
HONOR ET GLORIA.







Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-548354-p0022-0

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-548354-p0023-5

DFG



Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt

urn:nbn:de:gbv:3:1-548354-p0024-1

DFG

99 A 6930

ULB Halle  
002 822 520

3



sh

W. 17





# Farbkarte #13

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



D. B. V. 38.  
AUGURALIS JURIDICA  
De

# EXATIO. MORÆ,

Quam  
ANTE DEO  
ET AUTORITATE  
Ctorum Ordinis,

in  
A ACADEMIA JENENSI,  
Æ S I D E  
o, Consultissimo atq; Excellentissimo,  
RISTOPHORO  
z Prof. Publ. celebratissi-  
onico, Curiæ Provincialis,  
cæ ac Scabinatus Asses-  
travissimo, &c.

NO æternum colendo,  
CENTIA,  
RE HONORES ET PRIVILEGIA  
ENNITER OBTINENDI,  
orum Examini submittit,

IN Strehßchärf/  
ensis Thuring.

Novembr. cl<sup>o</sup> loc LXXV.  
te- & pomeridianis

apud JOHANNEM NISIUM.